Quelle: https://manuscripta.at/?ID=40671
Copyright: Melk, Benediktinerstift

Si sanguis effunditur vel sacerdos vomit et huiusmodi plura,

sit necesse aliquid reiterare, sed procedere et sic utrumque residentem sumere,

Octauum dubium. Si contingat quod per negligenciam sacerdotis sanguis effunditur, vel quod sacerdos sacramentum sumptum vomit, et eciam quod hostie consecrate tam diu seruantur ut putrefiant, vel quod a muribus corroduntur, et qualitercumque alias perdantur. Quid ergo in talibus est faciendum. Respondetur secundum sanctum Thomam ex decreto pii pape. Si quis per negligenciam aliquid stillauerit de sanguine in tabula que terre adheret, lingua lambatur, et tabula radatur. Si vero non fuerit tabula, terra radatur, et rasura igni comburatur, et cineres intra altare recondatur, et sacerdos quinque diebus peniteat. Si autem super altare stillauerit, sorbeat minister stillam, et tribus diebus peniteat. Si super linteum altaris et ad aliud usque peruenerit, quatuor diebus peniteat. Et si usque ad tercium, ix diebus peniteat. Si usque ad quartum, viginti diebus peniteat. Et linteamina que stilla tetigerit tribus vicibus lauet minister calice subtus posito. Et aqua ablucionis sumatur, et iuxta altare recondatur, vel in potum a ministro sumatur, nisi propter abhominacionem dimittatur. Predictis autem diebus debent penitentes ieiunare, et a communione cessare ut aliqui dicunt. Sed secundum sanctum Thomam et alios videtur quod hiis diebus iniungenda sit eis pena arbitraria pensatis condicionibus persone et negocii, tamen pena irrogata, non sit nisi ad cautelam. Ideo circumstanciis pensatis potest minui vel addi ad penam illam quo ad longitudinem temporis, dicit tamen sanctus Thomas, quod tucius sit quod peragatur quo ad numerum dierum,